DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

HEPATIS SCIRRHO,

Quam

AUSPICE DEO PROPITIO

Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

PRÆSIDE

DN. D. MICHAELE ALBERTI

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CONSILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, ETC.

DECANO SUO SPECTATISSIMO,

Domino Patrono, Præceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

ANNO MDCCXXXI. D. SEPT.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUTOR ET RESPONDENS

JOHANNES GOTTLOB PETRI,

GUBENA-LUSATUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



PROOEMIUM.

EFfatum *Æneæ Sophistæ in ep. 19.* est: *Donec morbi latent, etiam remedia in medio posita latent, & dominatur in curatione error: morbi vero cognitio quasi lumen quoddam arte refulget & aperit remediorum copiam, neque dubiam amplius & ancipitem curationem adfert:* hoc adsertum & vera & falsa complectitur: veritas est, quod non pauci deprehendantur latentes morbi, adeo ut medici quidam peculiari studio varia meditatione de *occultis morbis* egerint, utpote *Eustach. Rudius*, *Muncerus*, *Verderius* & e recentioribus *Sennertus;* qui plurimi venenatos affectus ad hanc classem retulerunt, quamvis varii alii eo referri mereantur, quorum causæ sunt internæ latitantes polyposæ aut aliæ concretiones, intimiores diversarum partium obstructiones & infarctus, latitantes abscessus, tophaceæ nonnullorum viscerum indurationes, exsiccationes, præternaturales partium concretiones, rupturæ, &c. de quibus valet, quod *Aphrodisæus in Proœmio Problematum* elocutus est: *infinita in rerum natura existunt, quæ sola experientia cognoscuntur & propterea a*

medicis arcanæ proprietates appellantur; unde nonnunquam ſub ſcrutinio anatomico & morbi & mortis cauſa detegitur: veritati porro reſpondet, quod latentibus adhuc morbis, remedia non modo in medio poſita, ſed & plane incerta ac fallacia ſint: veritati congruit, quod ſub occultis morbis magnus pateat ad errores aditus: veriſſimum eſt, quod, qui bene morbum cognoſcit, juxta *Celſi* monitum, bene aut melius curare poſſit, nec abludit a veritate, quod cognitio morbi cum genuinis ſuis cauſis, indicationes ſive operationes quidem medicas congruas, rationales atque indubias ſuppeditet; attamen a veritate deflectit, quod talis cognitio remediorum copiam aperiat: ſiquidem in variis quidem perſpectis ægrotationibus non datur aditus ad cauſam morbi ſubjugandam, ut in talibus caſibus medicus quidem & morbum & ejus cauſam exacte pernoſcat, inſuperque recte concludat, quæ neceſſaria ac utilia eſſe poſſint, interim interdum defectus congruorum auxiliorum premit & acceſſus ad ſedem mali nimis implicatus, ſi non penitus præcluſus eſt: verum proinde etiam eſt, quod in tali animadverſione *Quintilianus declam. 8. ſ. 20. pr.* eloquitur: *Sufficit quod aliquando jam facta ex unius hominis inſpectione, ad totius intellectum naturæ medicina profecit: quid allaturus huic ægroto es, quod non tot ſeculorum, tot languentium experimenta deprehenderint:* interea non conſultum eſt in intricatis morbis periculum, aut experimenta per mortes facere: quare idem *Quintilianus declam. 8. ſ. 18.* de tali medico ait: *non novi, inquit ille, languoris genus: poſt hanc vocem, me hercule, non*

debe-

deberet committere ægros, etiamsi vellet experiri potionis haustus, ciborum fomentorumque novitates: haud enim sufficit in latitantibus morbis extrinsecus, aut per ambages mederi, sed fontem mali aggredi, uti *Chrysostomus hom. 10. init. ad Roman.* ait: *præstantissimi medici ægritudinum radicem curiosius semper indagant, atque ad ipsum mali fontem ante omnia accedunt:* & ita in omnibus operationibus suis judiciose, perite & conscientiose medicus procedere debet: huc quadrat dicterium *Hippocr. de decenti ornatu §. 3. text. 17. sq. quicquid artificiose factum, ex ratione prolatum est & productum,* (i. e. cognitionem morbi supponit:) aut ut in *Lib. de arte §. 20. text. 4.* profitetur: *medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, sufficiet etiam ad sanandum; quicquid autem artificiose dictum est, non autem factum, methodi inartificialis, demonstrativum existit: nam putare quidem non autem facere, ignorantiæ & inartificialitatis signum est:* Hæc meditatio mihi in mentem incidit, quando inter alios affectus intricatarum qualitatum, morborum Hepatis disquisitionem instituo, qui non modo numero, sed & gravitate & latitante aliquoties qualitate, multos alios superant; ob id *Mercatus Opp. Tom. I. Montagnana in Opp. selectior. Lib. IV. Consiliorum, Joel. Opp. Med. Tom. IV. Seitzius in Tabb. curat. & Bianchi in Historia Hepatica Part. II.* seorsim Hepatis morbos tractarunt: quo amplior ac diffusior hæc etiam pars est, quo crebrioribus usibus ac functionibus inservit, quo largiori humorum affluxui patet, quo differentes magis substantias sub humorum affluxu admittit, quo copiosioribus vasis sanguiferis instructum est,

 viscus

viſcus, quo mollior ac laxior ipſius eſt ſubſtantia, quo majorem in molem accreſcere & expandi poteſt, (ut multi medici ſingularibus obſervationibus immenſam ejus magnitudinem deſcribant, ut *Joh. Maur. Hoffmannus in diſquiſ. corp. hum. anatom. pathol. Specim. 6. n. 10. Bartholinus Cent. 3. Ep. 1. Schenck. Lib. 3. obſ. rar. de Lien. obſ. 9. A. E. L. An. 1714. Octobr. p. 484. Blancard. Anat. Pract. Cent. I. obſ. 76. Cent. 2. obſ. 12. Panarol. Part. 4. obſ. 25. Salmuth. Cent. 1. obſ. 21. Boneti Sepulchr. anat. Lib. IV. Sect. 12. obſ. miſcell. 27. p. 571. Sect. 7. obſ. 4. ſ. 6. p. 435. Ayrer diſp. de ſcirrh. hep. in præf. & ſ. 6. Wepfer obſ. p. 45. A. N. C. dec. 3. an. 3. app. p. 106. an. 1. obſ. 122. Bianchi l. c. c. 2.* & plurimi ferme anatomici reliqui) eo numeroſior morboſarum afflictionum ſpecies, ut & intricata ac latitans aliquando talis præternaturalis offenſio ac diſpoſitio hanc partem occupare ſolet & poteſt, ut eapropter ad ſanitatem ac morbos ferme plus, quam aliud organon contribuat: Et ſi unica corporis pars, talem malorum lernam ac catervam comprehendit, ſane immenſum morborum numerum, qui corpus humanum affligunt, facile concedere & agnoſcere poſſumus; quamobrem illorum virorum induſtria atque ſollicitudo laude utique digna eſt, qui ſpeciali attentione cujuslibet partis morbos ſcrutantur & qui demonſtrant, quales affectus morboſi ab harum partium diverſa alteratione ac læſione in reliquo corpore originem ducere ſoleant: aſt ne in diffuſiorem laborem nos immittamus, unum ex multis, eumque ſatis arduum, intricatum & non raro latitantem hepatis morbum, hac occaſione

ne

ne dum Inaugurale Specimen a me producendum ac exhibendum erit, brevi explicatione, quantum ratio temporis & occasionis mihi permittit, commendare & pertractare cogito: videlicet de HEPATIS SCIRRHO agere impræsentiarum constitui, cui conatui, ut DEUS Ter. Opt. Max. prospero successu annuat ac benedicat, humillimis contendo precibus.

§. I.

DE Hepate ex uno velut ore, & iisdem ferme verbis testantur *Zacutus Lusitanus Med. Princ. Histor. Lib. 2. hist. 105. paraphras. p. 371. Amatus Lusitan. Cent. 3. curat. 48. in schol. Forestus Lib. 19. obs. 13. in scholio, Bianchi historiæ hepaticæ Part. 2. c. 5. §. 10. p. 151. sq.* quod *duris tumoribus opportunissimum sit viscus, teste Galeno Lib. 13. method. c. 15. 16.* quorum prior dicit: *fit ut, cum mollem habeat carnem, facile tenues ejus venæ, & deinde omnis visceris substantia, a crasso viscidoque humore infarciantur & obturentur, qui indies magis ac magis induratus, tenuiorique parte vi caloris, resoluta, absolutam perfectamque duritiem acquirit: Lommius observ. medic. Lib. 2.* asserit, quod *sæpe hoc vitio jecur, sæpius Lien tentetur, non sine certo metu gravissimorum atque lethalium morborum:* quare allegatus *Bianchi l. c. p. 152. sq. varias* tumorum hepar detinentium *species* commemorat, velut *œdema, obstructionem a lympha, leviorem &* *graviorem, atheroma, steatoma, Meliceriten, scirrhum, concretionem, callosam, gypseam, tartaream, sabulosam, lapideam, obstructionem spuriam*, & *Lancisius de mortib. subitan. tumorem cysticum æruginosa argilla plenum* observavit,

conf.

conf. Boneti anat. pract. Lib. 4. Sect. 7. obs. 5. ∫. 1. p. 435. Sect. 2. obs. 10. p. 272. ∫. 1. Sect. 12. obs. 29. p. 572. Hildanus Cent. 1. obs. 51. multique alii: ita ut uberrima prostent testimonia, quam *frequenter* & quam *variis tumoribus* Hepar affligi soleat: Quam *multiplex* porro in hoc viscus *humor* effunditur, & quidem non modo *larga* Massæ sanguineæ quantitas a dextro cœliacæ arteriæ ramo & Vena Portæ afflua (quæ communiter *paulo spissior* esse solet, præc. a *Vena Portæ* proveniens, insuperque ex *primis regionibus* multas *impuritates* advehit) sed & notabilis *gelatinosi* chylosi lymphatici & conjuncti *mucilaginosi*, ut & serosi *simplicioris* & pro *bile* formanda idonei liquoris copia, tam *discrepans* in eodem infarctus ortum trahit, hinc vulgo in *sanguineos*, *lymphaticos*, *phlegmonodeos* & *biliosos* tumores dispescuntur; quemadmodum uberrimis observationibus *anatomicis* comprobatum est, quod ipsa *bilis* in suis *vasculis*, *ductibus* & poris, imo ipsa *cystide* in *crassitiem* aliquam ac *tophaceam* plane duritiem transire, adeoque harum partium infarctum & *intumescentiam* causari soleat.

§. II.

Ex diversis talibus, hepar affligentibus & occupantibus, tumoribus, præsenti loco atque themate *Scirrhum Hepatis* quoad *principales* respectus explicare animus mihi est; notatio *nominalis* hujus affectus significat *indurationem* & quidem relative partis *mobilioris*, *mollioris*, *fluidioris* &c. hinc præsens affectus *formaliter* complectitur vel *totius* ambitus, vel *alicujus* regionis in hepate indurationem, aut *tumidum durum* infarctum, *plus* vel *minus* duritie qualificatum, modo in *superficie* & *convexa* hepatis parte, modo *intimius* existentem ac hærentem, *functiones*

hujus

hujus organi valde lædentem ac vicinarum partium *liberum* motum, *naturalem* qualitatem ac uſum una admodum violantem, turbantem & affligentem: hic tumor aliquando extrinſecus tactui facile *manifeſta* ac renitente duritie ſe offert, aliquando hæc,ſi ipſe *intimior* eſt,etiam *obſcurior* exiſtit: communiter quidem huic tumori tribuitur qualitas, quod *indolens* ſit, uti *Gorræus* ita Scirrhum definit, quod ſit *tumor præter naturam durus & doloris expers*, quæ *Galeni* definitio exiſtit *Comm. 4. in Lib. de rat. vict. in morb. acut.* & quamvis *talia* plurimum loca ipſe occupet,quæ *haud* eximie ſenſibilia ſunt,utpote *glandulosa*, *cribroſa* & *vaſculoſa*, quo *hepar* ac *lienem* refero, tamen ejusmodi tumor præternaturalis non omni *moleſta ſenſatione* deſtitutus eſt,quamvis *acutus* dolor illum *haud* comitetur: hinc *author definit. medic.* referente *Fœſio in œconom. Hipp. ſub tit.* σκίρρος ita ſcirrhum definit: quod ſit *tumor corporum durus ac gravis, cui motus & ſenſus conjuncta eſt difficultas*: quare *Galenus method. med. Lib. 14.* dicit: *Scirrhum appellamus tumorem durum, qui ſine dolore, non tamen prorſus ſine ſenſu eſt*, ſiquidem *moleſtus* ſenſus nunc in parte *affecta* adeſt *gravativus*,preſſorius, anguſtatorius,*ponderoſus*, nunc in *vicinis* partibus variæ *moleſtæ*,imo aliquando *dolorificæ* ſenſationes excitantur: quam ob rem *Zacutus Luſit. l.c.* refert, quod *doloroſa* moleſtia in hepate non tam *membranæ*, hoc *veſtienti*, quam *nervis* hepati communicatis tribuenda, de quibus dicit: *ab his nervis in proximas jecinoris particulas quoquo modo vires diſtribuuntur ac communicantur, qui ſatis ſunt ad deferendum illum obſcurum ac debilem ſenſum:* quales nervos hic antiquior author *ferme* ſimili modo recenſet, ac *Vieuſens*

& ex hoc *Bianchi l. c. Part. I. c. 7. ʃ. 6. p. 21. 22:* præterea quidam ex *magnitudine* & *diverſa ſede* Scirrhi in *hepate*, mutatum doloris & moleſtiæ *gradum* ac communicationem deſcripſerunt; hinc *Amatus Luſitanus* l. c. in caſu dicit: *gibbarum partium ſcirrhi tactu facile deprehenduntur - - nam concavis jecinoris partibus affectis magis ſtomachus & inteſtina affici conſueſcunt, ut ex Galeno citato & aliis variis docti evadimus:* de qua doloris varietate infra plura proferenda erunt.

§. III.

Quo vero hujus affectus indoles magis innoteſcat, præmittam in *hiſtorica* ejus deſcriptione nonnullas qualitates in *ſubjectis*, quæ hoc morbo affliguntur, annotandas: quare ſciendum, quod morboſa hæc afflictio raro *infantes* corripiat, ſicut *Hippocrates* illius haud reminiſcitur, quando *morbos certæ ætati* familiares commemorat: quando vero in infantibus *vitia conformationis* a nativitate originem ducunt, aut ipſi *Rachitide* afficiuntur, aut pertinaci *atrophia* laborant, aut violentam *luxationem* vertebrarum dorſi patiuntur, aut eximias afflictiones a *vermibus* ſubeunt, aut *perverſis medicamentis* vel *adſtringentibus*, vel *alvi liberam* ac ſufficientem excretionem *ſufflaminantibus*, tractantur &c. tunc illis etiam eadem morbi ſpecies accidere poteſt & ſolet: quo loco in tranſitu allegamus, quod *Zacut. Luſitanus* l. c. ortum Scirrhi Hepatis ab *imperitia medicorum* ex parte demonſtraverit; dum originem illius a prægreſſa alicujus partis inflammatione ita deſcribit: *talis redditur medicorum imperitia, quando videlicet aut importuna auxilia, aut nimium refrigerantia aut valenter diſcutientia inflammationibus*

nibus adhibent, ut sic humor vel frigore induratus, vel a calore exsiccatus, lapidescat: comparate frequentius hic affectus *natu provectiores* affligit homines; interea cum aliis morbis *certæ ætati* familiaribus *haud æqualem* obtinet convenientiam, si respectus quoad *historicum* præc. conspectum & *causalem* deductionem comparamus: interea sub reservata *limitatione* asseverare possumus, quod in *confirmata juvenili* & sequente *reliqua* ætate & *facilius* obtingere & paulo magis *actu* invadere *possit soleatque:* proinde ratione *sexus* masculos æque ac fæminas corripit & in utroque sexu *aptas* suas invenit causas, adeo ut in sequiori sexu non modo *Mensium* negotium, sed in masculino variæ aliæ causæ hunc morbum provocare soleant: præterea subjecta *melancholici* ita dicti temperamenti, in quibus *strictior* solidarum & *spissior* fluidarum partium qualitas est, *facilius* huic subjiciuntur affectui, quales homines communiter *difficiles* valde ac impeditos *humorum progressus* per *primas regiones* experiuntur, proinde ex alimentis assumptis *crassiorem* chylum generant & ob *varie mutatum* excretionum successum non modo multas *impuritates*, sed & sensu *physico* accipiendas *cruditates* in massa humorum colligunt, *unde* præsens affectus *facilius* originem suam trahere potest & solet: huc quadrant personæ, quibus excretio *alvi* ac successus *transpirationis insensibilis* atque *sudoris* difficilis & insufficiens est; ut ob *restrictionem* humorum in *interiorem* corporis regionem iterum facilius in hepate talis infarctus ortum capere queat: hisce qualitatibus accedunt homines in præcipites ac tenaces partium *constrictiones*, nec non in affectus *animi intensiores* terroris,

mœroris ac timoris inclinantes ſubinde etiam *ſenſibiles* ac ad motuum acceleratam immutationem proclives, in quibus facile *ſpeciales congeſtiones* ad diverſas corporis partes ſubitaneo ac vehementi gradu tranſeunt, unde idem affectus oriri aliquando ſolet; ut nihil dicam de qualitatibus certorum ſubjectorum adhuc *abſconditis*, quæ *poſt mortem* demum inveniuntur & aliquando ad cauſam *morbi*, nonnunquam ad cauſam *mortis* referri merentur.

§. IV.

Nunc præſentis affectus *Diagnoſin* brevi delineatione indicare, ejusque *principaliora ſigna* commemorare lubet: eſt vero hic affectus aut in *initio*, aut *incremento* aut *conſummato* ſtatu: de *priori meliora*, ratione curæ ſperanda ſunt, de *poſteriori deteriora* metuenda veniunt, & ſecundum hunc diverſum ſtatum ac gradum ſignorum *gravitas* & *numerus* diſcrepat: per initia quidem in leviori ac *minori* fundamento hic affectus *haud manifeſtis* ac ominoſis ſe prodit indiciis, niſi per *intervalla* obſcuras & *ambiguas* moleſtias in dextro hypochondrio ſubjecta ſentiant, quæ vero tunc temporis minime *directe* de ingruente aut præſente Scirrho accipi & agnoſci posſunt: attamen pro diverſitate *cauſarum* ac ſubjectorum hæc initia *infarctus* nunc *lentius*, nunc *citius* increbeſcunt, donec in manifeſtum talem Scirrhum tranſeant: hinc *Rondeletius* Opp. ubi de Scirrh. hep. *c.34.* agit, ait: *memini, me vidiſſe quendam, qui tales tumores duros a paucis diebus factos eſſe aſſereret:* exſerit vero ſeſe ejusmodi affectus *tumore*, cum *tempore* augeſcente & quidem ita increbeſcente, ut quando ſubjecta affecta nunc magis *ſedentariæ* vitæ inhærent, ille *accrementa* manifeſta capiat, ut &

ſi

ſi multum *animo* affligantur ac angore, mœrore &c. turbentur, aut ſi aliquandiu *alvi pertinaces obſtructiones* concurrant, ipſe tumor ſubinde *augeatur*, quando itaque talis Scirrhus *confirmatus* eſt, affert & infert in hepate ſatis notabilem *tumidam* ac *duram* inflationem, dextrum hypochondrium attollentem, tactui renitentem, nunc in *ambitu* ſuo *ampliorem*, aliquando *minorem*, ad contactum adhibitum moleſtum & *obſcure* dolentem; quare *Capivaccius* ubi de hoc affectu tractat, dicit, quod hic Scirrhus *preſſus dolorem* exhibeat & *Sennertus* ait: *dolor obſcurus ſentitur, quia partes vicinæ ſenſu præditæ a tumore hepatis comprimuntur, earumque unitas quodammodo ſolvitur:* quæ verba *Capivaccii* etiam ſunt, addit vero hic author: *ſed non tantum reſpiciendum ad dolorem, num adſit, nec ne, verum ad diuturnitatem & contumaciam affectus:* attamen notatu digna utique eſt circumſtantia illa, quod aliquando hic dolor in hoc affectu *adſit*, quandoque *abſit*, indeque medicus ex hujus *doloris comitatu* præſagia quædam de hoc affectu formare queat: *revocant* vero talem *dolorem congeſtiones* humorum ad hepar affectum tendentes, undecunq; enatæ fuerint, ad quam *congeſtionem* præ aliis reſpicit *Riverius*, quando illam utpote hujus affectus comitem & accidens allegat, dicens: *duobus modis in hepate Scirrhus generari ſolet, per fluxionem ſcil. aut congeſtionem humoris craſſi & glutinoſi in partis ſubſtantia, vel ab induratione aliisque tumoribus induratis &c.* de dolore hunc affectum comitante ait *Lommius l. c. recens Scirrhus ſi premitur, doloris exhibet ſenſum aliquem & locum medicinæ præbet: conſummatus ſenſu penitus caret, neque tolli remediis poteſt: Joh. Maur. Hoffmannus in notis ad Hart-*

manni Praxin Chymiatricam p.588. de hoc dolore ita disserit: *Scirrhi signa diagnostica petuntur a tumore duro, cum nullo aut exiguo dolore: Fonseca tom. 1. consf. 42.* de hoc dolore refert: *dolor non continuo hunc Scirrhum sequitur, sed sua præsentia motus in loco affecto majores testatur, absentia contra pertinaciorem jecoris obstructionem significat.*

§. V.

Quamvis Scirrhum Hepatis *ordinarie* ac constanter dolor haud comitetur, tamen ordinarie sensus *ponderis* aut molestæ *gravitatis* non modo *deorsum*, sed *antrorsum* prementis, in eodem occurrit, dum *successive* moles ac infarctus hujus visceris augescens, non modo *pressione* sua deorsum tendente, sed & *ampliori* sua extensione *gravativam* hanc molestiam *latius* dispergit; siquidem medici facile judicare possunt, *in qua regione* hepatis tumor aut Scirrhus major existat; dum ex graviori *ventriculi* offensione *proximior* hujus partis regio *majori* hepatis infarctu onerata est: alias *major* scirrhosa hæc moles *difficiliorem* respirationem causatur, quo magis pondus hepatis *liberum Diaphragmatis* motum impedit, hancque partem sua *gravante* mole valde affligit, imo quo magis *dextram* ventriculi regionem ad *sinistram* premit, unde denuo diaphragmati non exigua accidunt incommoda, &c. de hoc molesto sensu ponderis *Capivaccius* ait: *Sensus gravitatis ob membranam investientem maxime adest: si Scirrhus non est exquisitus, si exquisitus non item: licet ob compressionem partes vicinæ doleant:* porro ait: *adest sensus gravitatis sine febre, ad differentiam inflammationis:* quando vero talis Scirrhus *insensilis* redditur, malum est indi-

cium,

cium, hinc *Galenus Lib. 7. de compos. medicam. per gener. c. 9.* ita judicat: *qui sensu caret, jam sanari non potest: siquidem qui imposita medicamenta, non persentit, ecquænam spes auxilii inde exspectari potest? cum qui sentiunt catenus spem faciant, quatenus etiam sensus sunt participes*: comitatur vero hanc *gravativam* molestiam *impedita* respiratio cum tumoris accremento augescens & *intricatum* totius affectus statum denotans, adeo ut ex *asthmaticæ* hujus afflictionis gradu *majori*, *acerbior* mali status certo agnosci queat: hæc respiratio *difficilior* redditur, quando ægri corpus valde *commovent*, aut aliunde sanguis in *intensiorem* motum pervenit, sive hoc evenerit, per *ingesta calida, spirituosa*, sive per *exæstuationem* aliam *internam* aut *externam*, ut major sanguinis *expansio* & copiosior ad hepar affluxio partem semel affectam *magis affligat*, aggravetque: præterea in *decliviori* situ decumbentes, ubi hepar tumidum magis *sursum* & *diaphragma* premit, nec non *alvi obstructionem* aliquandiu laborantes tales ægri hoc tempore *majorem* in respirando difficultatem sentiunt: quo etiam illa ingesta contribuunt, quæ sanguinem *valde commovent*, aut *alvinam* evacuationem magis impediunt: quo loco *Cranen. in Medic. Pract. reform. c. 74.* annotationem addimus, cujus *Bonetus in Polyalthe Lib. 4. c. 41. p. 746.* reminiscitur, quando de hoc affectu recenset: *respiratio hic impedita est, ut & in obstructione, ob metum doloris, quem ex alta respiratione sentiunt; vel etiam si tumor adsit, propter illum tumorem angustantem spatium abdominis; ita ut viscera abdominis magis resistant motui diaphragmatis: difficilior tamen multo est post exercitia, quia per exercitia sanguis magis movetur & calidior fit,*

atque

atque ita vasa distendit & omnes partes tumidiores reddit, sic quoque tumorem auget obstructi hepatis (ut & lienis) qui sic auctus motum diaphragmatis magis inhibet, & quando ægri *intensius* respirant prædicta *ponderosa* molestia extemplo *acerbior* redditur, indeque *inspiratio* valde afficitur & *impeditur*, ita ut hæc signa præsentis affectus *singulari* vinculo connectantur.

§. VI.

Præter hæc signa varia alia adhuc recensenda occurrunt & quidem plus minus *increbescens* hepatis *durities*, prout Scirrhus *amplior* existit, præc. quando *extimam* hepatis superficiem, aut *convexam* vel gibbam regionem magis occupat ac detinet; qui tumor magis *tactui*, imo etiam *conspectui* patefit, quando ægri in *erectiori* situ sunt constituti, nec viscus hoc retrorsum labitur; proinde non modo *ponderosam* hanc duritiem sentiunt afflicti ægri, sed & alii *tactu* percipiunt, quando decumbentes in *sinistrum* se vertunt latus , *quem* situm ægri etiam ægre ferunt, quoniam *ponderosa* hepatis moles *ventriculum*, & mediante hoc *diaphragma* valde premit & molestat, unde *cordis* ut & *præcordiales* angustiæ provocantur, quemadmodum aliàs subjectis, hoc affectu laborantibus, pulsus *turbatus*, *durus*, *palpitans*, *inæqualis* familiaris existit: *Progressus sanguinis* eapropter valde *inæqualis* est, nunc *extremitates* corporis morbosa *horripilatio* pervadit, alibi inopinata & cum *angustia* stipata *phlogosis* alternat: *appetitus* valde *turbatus* occurrit; affligit *difficilis concoctio*, ventriculi *imbecillitas* & flatulenta extensio cum *cardialgia* conjuncta, interdum *inexpectati* ac insoliti, admodum tamen affligentes conatus *vomendi* invadunt; insultant

per

per intervalla cruciatus *colici*, *flatulenti* & diſtinctè *ſplenetici*; *alvus* utplurimum eſt *ſicca* & *obſtructa*, & quo magis talis eſt, eo magis *omnia* pathemata hunc affectum comitantia *exacerbantur*: *urina* eſt *imminuta*, *turbida* aut *flocculis* turbulentis referta, quamvis *Riedlinus Lin.Med. An. 4. Menſ. Julio obſ. 24. p. 839. Scirrhum hepatis* in caſu practico deſcribat, qui *nullum ſui indicium præbuit*: *Color* externi corporis ſub hoc affectu *conſpicue* mutatur, ita ut pro *diverſitate temperamentorum* nunc *ictericus*, nunc pallidus aut cachecticus, nunc *virideſcens* compareat; hinc *Lommius Lib. 2. obſ. medic.* dicit: *vultus obſcurum fœdumque colorem habet*: addimus *Foreſti* l. c. verba: *Si ex nigra bile, color totius corporis ad nigrius declinabit, ſi ex craſſa, lentaque pituita ad albidius vel plumbi colorem*: *Riverius* dicit: *color faciei eſt pallidus & quaſi vireſcens, quia ſanguis laudabilis non generatur*: *Caſp. Hofmannus Inſtit. L. 6. c. 35.* ait: *in omnibus ita affectis colorem faciei eſſe plumbeum lividumque*: in ſubjectis tamen ſero *bilioſo* abundantibus color magis flaveſcens eſt: quando ſubjecta *ſpongioſioris* forte ac ſucculentioris habitus corporis ſunt, tunc magis *cachecticus* habitus corporis hunc affectum comitari ſolet: aliquando hic Scirrhus hepatis *acerbiores lienis* affectus in conſenſum trahit, qui a *flatulentia* facile diſcerni poſſunt; quo pertinent pathemata *hypochondriaca*, *ſplenetica*, *melancholica*: (quare *Bonetus in theſ. Pract. Lib. IV. c. 42. p. 748. n. I.* ex *Caſp. Hofmanno* originem Scirrhi hep. pituitoſi ex melancholia hypochondriaca derivat) non raro hunc morbum *angentes flatulentiæ* comitantur, quas minus attenti cum *tota reliqua* affectus *hiſtoria* valde

C

de *confundunt*, dum in hac flatulentia *principalis* caussa *minime* quærenda est, nisi hæc *antecesserit* & longe alia *caussandi serie* & efficacia hunc affectum provocaverit.

§. VII.

Supersunt adhuc alia signa, dum successive cum hoc affectu aut *eminentior cachecticus* & in *hydropicum* statum vergens, aut *hecticus*, *tabidus* aspectus concurrit, in qualem, pro *diversitate temperamenti*, subjecta afflicta propendent: quare *Dolæus in Encyclop. chirurg. Lib.3.c.4. p.346.* dicit: *non omnia in omnibus concurrunt signa, sed nonnulla in his, alia in aliis, prout sæpe caussæ secundum magis & minus & corporum dispositio variant:* tumorem inter alios exactius describit *Alpinus in Medicina Methodica Lib. X. c.16. p. 632.* quando ait: *ex signis propriis hepaticæ scirrhosis est durities extans in dextra præcordiorum parte schemate rotundo, costis ex aliqua parte subjecta & propterea veluti decisa, ex alia vero parte circumscripta atque rotunditate terminat:* conf. *Capivaccii* annotatio & descriptio hujus tumoris, quam *Bonetus in suo thes. pract.* l. c. allegat: de *urina* addimus, quod non modo *Sennertus* (quem male invehit *Riedlinus l.c.* & omniscium perperam nominat, quoniam in signis Scirrhi hepatis *urinæ paucam* evacuationem commemorat) sed etiam *Lommius l.c.* Lib. 2. ejus *defectum* in hoc affectu accusent: indicat etiam *Bianchi l. c. Part.3. de obstruct. hepat. ß. XI. p.327. urinæ parcitatem*, & addit, *hinc Scirrho hepatis celerrime cachexia succedit, & nisi mature occurratur & hydrops & obitus :* *Alpinus l.c.* scribit: *urina veluti Sandarachæ colore turbata:* proinde referente *Capivaccio*, *Avicenna lotii diminutionem* in hoc affectu ob-

obser-

ſervavit: aliquando vero *naturali ſimillima* exiſtit: *vid. Riedlinus Lin. Med. An. 6. Menſ. Apr. obſ. 12. p. 404. alvus* in aliquibus *ſicca*, *adſtricta* & *pertinax*, in aliis *ſegnis*, in quibusdam *bilioſæ* occurrunt *egeſtiones*, dum durities hepatis regione *cyſtidis* vicina, *hanc veſiculam* premit, ut bilis ad inteſtina *copioſius* profundatur & illico præter *torminoſos* cruciatus, *alvi fluxum* valde *anomalum* & *enervantem* cauſetur; quam egeſtionem præc. *Alpinus* recenſet: comitatur non raro Scirrhum hepatis *tuſſis ſicca* & ſuſpecta; ſupervenit ſucceſſive magis increbeſcens *virium proſtratio*, gravativa *laſſitudo* pedum, horumque *œdematoſus* ſtatus, qui *communiter* cum *hepatis morbis* concurrit: *color faciei* magis magisque *morboſus*, *pallidus*, aut ut *Alpinus* aſſerit: *ſæpe color auriginoſus ſive arquato ſimilis apparet*: quia bilis *inſufficienter* a maſſa ſanguinea in *indurato* hepate ſeparatur & *ſecernitur* & quia aliquando *largius* in *inteſtina* effuſa, majori copia cum chylo in *maſſam ſanguinis* abſorbetur & recipitur, ubi pro *diverſa* ſua miſcela varium *colorem* faciei & *corporis* reliqui cauſatur: ſucceſſive tales ægri emaciantur, *contabeſcunt* & *hectica* corripiuntur: ſub *accremento* hujus Scirrhi affligunt ſudores nocturni, aut *phlogoſes* cum *ſudore manuum* poſt *paſtum*: moleſtat inſolita *ſiticuloſitas* & ſalivæ *glutinoſa* conſiſtentia; aliquando experiuntur ægri *internum æſtum*, & *ſomnus* non raro *turbulentus* exiſtit: nonnunquam angit *ventriculi tumor*: alternat interdum *anomalus* ſtatus *hæmorrhoidalis*, torminoſus, *protuberantias* valde *dolentes* & affligentes, hæmorrhoidalia loca occupantes, inferens: quandoque *fluxus hepaticus* intercurrit: (cujus *nexum* cum hoc affectu ex *Caſp. Hofmanno*

C 2 *Bone-*

Bonetus l. c. n. IV. ita allegat: *Si quod dixi in hepatis imbecillitate, post excrementa, Lotiva barbaris dicta, non fiat fluxus hepaticus iisdem vocatus, suboritur obstructio & tandem Scirrhus, quem sanguineum appellabo.)* quæ singula pathemata *acerbiorem* reddunt totum affectum. De reliquo communiter illa signa *hunc Scirrhum* comitantur, quæ *Aurelianus* de *Scirrhis* profert: *Scirrhosos omnes sentire gravitatem, difficultatem spirandi, idque difficilius in itinere & ambulationibus clivosis, pigros atque tardos esse in motu, anhelantes, siticulosos, colorem ipsorum mutari, pedes tumefieri, aliquando cum his adesse, latentem febriculam, hydropisin, suffusionem atque continuam cibi corruptionem:* cœterum cum hoc tumore similes afflictiones concurrunt, quæ sec. *Riedlinum l. c.* cum hepatis obstructione coincidunt, & *dyspnœa, tussis,* magis affligentes, si æger decumbit, ut & *pedum tumor;* Et hæc *quoad* Diagnosticam præsentis affectus explicationem sufficiant.

§. VIII.

Nunc in *historica* hujus affectus explicatione *aliquas* animadversiones proferre lubet, quæ ad *Prognosticam* illius delineationem pertinent: quando itaque hic Scirrhus *firmas* jam *radices* egit, ac *diutius* duravit, nec non *ampliorem* & *profundiorem* hepatis regionem occupavit *deterioris* est conditionis: allegamus huc *Bianchi l. c. §. XII. p. 327. 328.* verba: *Scirrho minorem tantummodo hepatis partem infestante, diutius adhuc ægri vita protrahitur: brevius autem eodem potissimam hepatis portionem invadente: quod si totum hepatis corpus scirrhosa aliquando duritie obsideatur, mors fores pulsat; præc. quibus al-*

vus

vus non dejicit observante Galeno: qui Scirrhi ad suppurationem perducuntur, ex practicorum observatione facile in cancrum abeunt, nullamque curationem suscipiunt; nec tamen feliciorem suscipit hepatis Scirrhus, quamcunque induat habitudinem, hic enim utplurimum incurabilis est, præsertim confirmatus & grandior: huc quadrat *Riedlini* effatum *Lin. Med. An. 6. Mens. Apr. obs. 12. p. 405. inveterata hepatis durities rarissime medicamentis cedit.* evenit plane aliquando, ut contumacior hep. Scirrhus *lapidescentiam* partialem hujus partis causetur. *conf. Forestus* l. c. obs. 14. & *Cattierius obs. 10. Glissonius in anat. hepat. c. 7. p. 104. Casp. Hofmannus Instit. Lib. 3. c. 65.* non raro cum hoc affectu *icterus* conspirat: unde *Lommius l. c.* ait: *æque horrendum est, durum jecinoris tumorem aurigini initia præbuisse, aut vicissim hanc ex illo esse, cœpisse, vid. Schachtii exercitatio medico-Practica de ægro icteritia phthisi laborante. A. E. L. An. 1724. Mens. Dec. p. 532. sq.* quadrant huc *Boneti* verba *l. c. p. 749. n. 27. Scirrhus ictero succedens aut illum generans perniciosus: unde Hipp. aph. 42. Sect. 6. morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum malum.* non raro cum Scirrho hepatis una *Lienis, Pancreatis*, aliarumque partium abdominis præc. glandulosarum *obstructiones* & indurationes coincidunt, *vid. Act. Berol. Dec. 2. Vol. 3. p. 58. 59. Sanguinei* Scirrhi communiter *periculosiores* sunt & *breviorem* decursum cum *funesto* exitu sortiuntur: hinc facile in subitaneam hepatis *sphacelationem* delabuntur: in *plethoricis* & quibus commotiones sanguinis *congestoriæ* & *excretoriæ* familiares, nec non quibus *salutares hæmorrhagiæ* suppressæ sunt, velut *Menses*, aut placidæ *Hæmorrhoides* periculosior hic est affectus; addimus iterum

rum verba *C. Hofmanni* ex *Boneto l.c. p.748. n. VI. fit etiam Scirrhus in διάδεξι hoc est translationibus humorum de hepate in Lienem, de Liene in hepar, 2 in 6. Epid. 28. nisi enim natura vacuet, & per alvum vel per hæmorrhoides &c.* in subjectis *præcipitis, iracundi* & *vehementis* animi, ut & in *alios* animi affectus valde pronis, idem affectus ominosior est: quando hic affectus multa ac *tumultuaria alvi profluvia* infert: *valde* periculosus existit: hinc *Galenus Lib. 2. ad Glauc. c. 5.* dicit: *Scirrhum hepatis ab initio quidem sanavimus sæpius, ubi vero ad plures dies forte foret extensus, neque ipse potui sanare, nec alium vidi, qui posset: omnibus vero, qui sic affecti sunt, ex necessitate sequitur aliqua intercus: pereunt autem plurimi in tempore longo: quosdam vero novi etiam brevi pereuntes, quibus alvus multa dejiciebat. Capivaccius* dicit: *in Scirrho legitimo si concurrat fluxus ventris, celeriter moriuntur, si non jungatur ille fluxus, aliquandiu perdurant.*

§. IX.

Quando *altiores* radices hic affectus format & confirmat, tunc *ominosior cachexia, hydrops, hectica, œdemata* majora & *icterus niger* (quem ultimum etiam *Glissonius l.c. p. 103.* allegat) superveniunt, ac *funestum* exitum accelerant: unde aliquando hic Scirrhus *sub tumorem hydropicum* se occultat. *vid. Riedlinus Lin. Med. An. 4. Mens. Jul. obs. 24. p. 604.* de hoc superveniente *hydropico* statu *Lommius l. c.* dicit: *itaque tum hydrops nasci incipit, qui ut primum jam accesserit, nulla ægrum medicina periculo subtrahit. Dolæus p. m. l. c. 351.* profitetur: *Scirrhi viscerum sunt curatu difficiles impr. Hepatis, qui sæpe transeunt in hydropen, asciten, cachexiam, icterum: Joh. Maur. Hof-*

man-

mannus l. c. sentit: *Prognostica signa Scirrhi hepatis omnia mala sunt: nam eundem nisi recens & in externa, aut gibba Hepatis parte tantum obveniat incurabilem & in cachexiam subit.* *Horstius* commemorat *hepar scirrhosum post vomitum sanguinis cum dejectionibus nigris lethale. Part. 2. Lib. 4. obs. sing. 3:* *de Scirrho hepatis phlegmonode cum hydrope sequente. vid. Valleriola lib. 1. obs. 2.* cum *gangræna in cruore dextro, ib. lib. 3. obs. 10:* de *hep. duritie cum Cachexia* legit *Riverius Cent. 1. obs. 69.* de *jecoris scirrho in hydropem lethalem mutato. conf. Forestus Lib. 19. obs. 14.* de *Scirrho hepat. cum œdematoso crurum statu.* concil. *Joh. Raym. Fortis Tom. II. Cent. 3. Consult. 38.* *Febrem continuam* huic affectui supervenire *periculosum* est: *inflammatorium* internum sive *hepatis*, sive *alterius* partis affectum huic morbo se conjungere *valde ominosum* est: nec desunt *rationes* & *observationes*, quas ubique Doctores proferunt, quorum plurimos hactenus nominavi, quibus veritas confirmatur, quod Scirrhus hepatis ex *inflammatione ejusdem* ortum ducere queat soleatque, quamvis *Bianchi l. c. Part. II. c. 5. §. 13. p. 155.* judicet: *Plures Scirrhi hepatici observationes habemus in authorum paginis, plures etiam fallacias in iisdem legimus; ut, Scirrhum jecoris suppurari posse; imo & factâ, exterius cauterio, aut incisione apertura expurgari: Scirrhum jecoris legitimæ inflammationis sobolem esse posse: Scirrhum jecoris remediis interdum introsumptis curabilem; aliaque de eo consimilia: quæ omnia prorsus refello.* Si hic affectus ex *perversa* mali *hypochondriaci*, negotii *hæmorrhoidalis*, processus *Mensium* ac *Lochiorum* medicatione originem traxit, *deterioris* est conditionis; in subjectis *tenerioris* corporis & *sensibilioris* animi hic affe-

ctus

ctus *citius funeste* excurrit: quando hic morbus a *malo* genio *intermittentis*, præc. *quartanæ* febris, nec non mala ac *imperita* tam *ejusmodi* febris, quam aliorum *præcedentium* morborum medicatione ortus eſt, ægerrime tractatur: quando prægreſſos *abortus* & difficilia *puerperia* ſequitur mali ominis exiſtit: quo magis *repentinas virium* proſtrationes infert, eo periculoſior eſt: niſi denique in *primis* ſuis acceſſibus *dextre* tractetur, *rariſſime* extirpari & *percurari* poterit: denique in nonnullis ſubjectis Scirrhum hepatis *ſuſpecta narium hæmorrhagia* comitatur, quæ cum *aliis* hepatis *obſtructionibus* quandoque concurrit. *vid. Bianchi* l. c. *Part. II. c. 5. ſ. 14.* Et hæc quoad *Prognoſticam* hujus affectus explicationem annotare volui.

§. X.

Pauca adhuc in *hiſtorica* præſentis affectus disquiſitione annectere lubet, quæ concernunt *differentiam* illius ab aliis affectibus: diſcrepat enim ab *obſtructione communi* hepatis, quæ *lenior* & *levior* hoc Scirrho eſſe ſolet, quoniam *hic firmiorem* ac *tenaciorem* hepatis occluſionem conſtituit, unde obſtructio talis gradu *augeſcens* proxima via in Scirrhum abit: hinc *C. Hofmannus l. c.* diſſerit: *facit longius progreſſa obſtructio Scirrhum*; ita aliquando *flatulenta* abdominis extenſio in *dextro* præcipue hypochondrio occurrens, talem Scirrhum æmulari poteſt: aſt illa *tranſitoria* eſt, ac penitus *brevi* aliquando tempore *evaneſcit:* hinc *Rondeletius in Praxi cap. 34.* dicit: *agnoſcitur Scirrhus tactu, niſi cum venter flatibus intumuerit, tunc enim hepar infra reſidet, muſculi ventris ſurſum elevantur a flatibus, qua occaſione decipiuntur medici, cum venter detumuit, qui*

du-

duritiem vel tunicam viscerum inveniunt; in communi enim flatulentia deest *durities* illa, quæ huic Scirrho *essentialis* ac perpetua est; attamen *flatulentia* per intervalla etiam hunc affectum utpote symptoma affligere & comitari solet; allegamus insuper verba *Zacuti Lusit. in Med. Princ. hist. l. c. p. 371: hunc Scirrhum a cæteris tumoribus distingues: ab inflammatione, quia dolet: ab erysipelate, quod non est durum; ab œdemate, quod tactui non resistit, sed cedit; a flatuosis atque aquosis tumoribus, quod hi reddunt sonum, ut tympanum, quæ in scirrho non reperiuntur*: plures differentias tumorum hepatis affert *Bianchi l. c. Part. II. c. V. ss. X -- XIII.* nec non *Glissonius l. c. p. 100. sq.* qualescunque vero *tumores Hepar* occupaverint, illi semper satis *intricati* ac *ominosi* existunt: quod vero differentiam Scirrhi hepatis, quoad *causam materialem* attinet, tunc illius in præcedentibus mentionem feci; siquidem *Bianchi l. c. Part. II. c. 5.* obstructiones hepatis in *calidas* & *frigidas* discernit: *conf. Bonetus l. c.* ubi *n. I. II. III. IV.* ex C. Hofmanno *Scirrhum pituitosum, melancholicum, biliosum* & *sanguineum* producit; de reliquo non raro *tumor hydropicus*, ut antea indicavi, cum hoc Scirrho hepatis concurrit, aut sub hydropica abdominis distensione hic Scirrhus *occultus* hæret & latet, quem *externo* contactu detegere, alter tumor prohibet: aliquando *grandior mola* in utero, nec non *mensium, Lochiorum* & *Hæmorrhoidum* suppressio variis *obscuris* tumoribus, in abdomine orientibus & quandoque satis tenaciter subsistentibus ac increbescentibus, sese exserit, qui vero tumores variis etiam signis a Scirrho *genuino* hepatis discerni possunt: unde pauca hæc de differentia agere & indicare placuit.

§. XI.

Ordo tractationis nunc requirit, ut brevibus *causas*

præsentis affectus eruam & *Pathologicam* illius explicationem exhibeam: *Formalis* itaq; ratio Scirrhi hepatis est hujus visceris, *firmior*, *durior*, *latior* & *major* obstructio ab humore *inspissato* nunc *magis lymphatico*, mucilaginoso, alibi *simul* a *sanguine crassiore* aliisq; connexis materiis excitata ac sustentata, quali humore hujus partis *permeabilitas* valde læditur, dum vel *membranosa* ejus porositas, vel *aliqua vascula* præc. venosa obstruuntur, obstructa proinde regio successive *magis indurescit*, ac mole & magnitudine *augescit*, unde singulæ functiones naturales *secretoriæ*, *depuratoriæ* & sanguinis *repurgationi*, *resolutioni* & *reparationi* dicatæ valde violantur, impediuntur & ex parte sufflaminantur: utut enim *Ruyschius in thesaur. anat.* totam hepatis texturam vasculosam esse adseravit, tamen in *Cent. obser. chirurg. obs. 51.* dicit: *quod Lien, hepar, renes succenturiati non inepte pro glandulis sanguineis haberi queant:* unde *obs. 45.* in *hydropicæ cadavere glandulas hepatis admodum tumefactas* demonstravit: nisi ipse *Ruyschius thes. anat. prim. repos. 2. n. 7. & thes. 9. p. 46.* ex eadem sententia adstruat, quod *glandulæ nil nisi fasciculi & extremitates vasculorum* sint: quemadmodum *Vieussens in novo vasorum corporis humani systemate* p. 119. adserit, *quod venæ cavæ & portæ propagines in hepate in membranaceas cellulas ovales abeant, inque his pro hepatis glandulis constituendis diversimode convolvantur;* quam opinionem vero multa argumenta adhuc premunt: Sedes vero obstructionis est nunc *superficialis*, modo *profunda* in substantia hepatis, aliquando per initia *minor*, sub temporis mora amplior & *spatiosior*: nunc in *convexa*, nunc *concava* parte, nunc magis *dextrorsum*, alibi magis *sinistrorsum*, aliquando in utroque loco simul; quo *major* in certis subjectis ad-

est,

est copia *gelatinosi hepatici* humoris, eo facilius hic tumor scirrhosus, *tophaceam* & lapidescentem duritiem ac firmitatem assumit; hinc in scrutinio causæ *materialis* non æque necessitas postulat ut salsam, tartaream, acidam, hypochondriacam & similem impuritatem accusem, dum magis solide & *perspicue* talem obstructionem & consequentem *indurationem* hepatis a prædictis humoribus demonstrare possum: neque enim *absolute* humorum *spissitudo* semper ab *acido* aliquo inimico provenit, sed illius *variæ causæ* esse possunt.

§. XII.

Hæc obstructio hepatis & vel *glandulosæ* vel *vasculosæ* illius substantiæ & fabricæ per varias causas *proximas* & *remotas* impulsivas provocari potest & solet, & quidem quoad ita dictarum *rerum non naturalium perversum* usum, aliquando a *repentino* aut nimio, sive interno, sive externo *refrigerio* corporis oritur, dum post intensiorem *commotionem* & exæstuationem, subito *utroq;* loco corpus *sensibili* frigore percellitur, ut repentinæ *restrictiones* sanguinis ad *interiora*, & inter alias partes potentius ad hepar ruant, hocque confestim *nimiâ* sanguinis copiâ *obruant*, ut *subitanea obstructio* in eodem viscere oriatur, quam aliquando *inflammatoria* excipit febris, quandoque *hectica* sequitur, aliquando Scirrhus talis pedissequus comitatur: quid quod in observatione medica occurrit, ut *frigidus* haustus, *exæstuato* corpori ingestus, ob præcoces *spasticas* stricturas in *ventriculo* hujusque *confiniis* repentinam talem humorum stagnationem & partium obstructionem causetur: quando itaque *frigida* aëris qualitas, *salutares* excretiones, sive *sudoris*, sive *sanguinis* in *Mensium* & *Hæmorhoidum* negotio, *confestim* & tenaciter *repellit* & *obstruit*,

 tunc

tunc in *nonnullis* subjectis impetus *regurgitationis* & conjunctæ *congestionis*, hepar, utpote partem alioquin *magis*, *quam alia* esse solet, *sanguine* impletam & *oneratam*, obruit, in qua parte eo citius & potentius *fonticæ* tales alterationes suboriri possunt: id quod etiam fieri solet, si fæminæ *menstruatæ*, aut viri *hæmorrhoidarii* nunc *libere* & largiter profluente sanguine in aquam sensibiliter *refrigerantem* descendunt, aut delabuntur, inde tunc præsens affectus aliquando ortum trahere solet: & hæc naturalis qualitas tanto *citiorem* & potentiorem efficaciam habet in subjectis *sensibilioribus* & corpore *tenerioribus*; nec non *pleniori* humorum cumulo instructis & simul aliquali illorum *crassitie* laborantibus; quippe qui *concursus* causarum *citatiorem* talem effectum post se trahit, dum ex *motuum* occurrentium & *materialium* subjectorum & instrumentorum *aptitudine* præsens affectus *facile* generatur & acceleratur: alias vero *nuda frigida* qualitas *in se* spectata, *noxium* talem *specificum* effectum *haud* habet, siquidem *ineffabilis* hominum numerus *diu multumque intensum* satis frigus perferre solet, citra hujus affectus *consecutionem*; quare *relationes* variarum *aliarum* circumstantiarum judiciose instituendæ sunt.

§. XIII.

Quod si porro quædam subjecta contra *adsuetudinem* & *virium* modulum ac tolerantiam, aut ipsius *corporis* proportionem, *cibos crassos*, *crudos*, *duros* similesque ingerant, subinde *parum bibant*, *minus* corpus moveant, *laboribusque* exerceant, *corpore tenero* instructa sint, *sedentariæ* vitæ indulgeant, indeque *crassum chylum* generent, *spissum sanguinem* colligant, necessarias ac salutares *evacuationes* turbent, *cruditates copiosiores* in primis

regio-

regionibus colligant; *viscera* abdominis magis *enervent* insuperque molem sanguinis accumulent, tunc ex hac causarum *multitudine* atque *concursu* perinde Scirrhus hepatis originem facile ducere solet: multum huc sane *deficiens congrui* potus ingestio contribuit, unde *chyli* & *sanguinis* spissitudo, *viarum* ac *viscerum* proinde *comparata siccitas*, nec non *proportionis* instrumentalis ad *motus* & *functiones salutares* subeundas *læsio*, variaque alia *præternaturalium* qualitatum & *morbosarum* afflictionum specimina facile oriuntur: inprimis etiam *abusiva* ingestio *spiritus ardentis* consideranda est; quantum enim *incongruus* ejusmodi *spirituosi* potus usus valeat, ad functiones *naturales* digestionis, se- & excretionis, depurationis lymphæ &c. turbandas & sufflaminandas, quotidiana edocet observatio, siquidem *crassus* & impurus inde generatur *chylus*, viscera primarum viarum *glanduloso-vasculosa* constringantur & in aliquibus subjectis Scirrhus hepatis excitatur: præterea *valde acida magna* quantitate ingesta & *crebro usu* assumpta similem *incrassantem* & *adstringentem* effectum habent, qui ad hunc affectum excitandum etiam contribuit, quamvis hæc acida *non sola* illius effectus causa existant: præcipue vero *otiosum* & valde *sedentarium* vitæ genus multum ad hujus affectus originem confert, quando præc. quædam subjecta diu cum *compressis thorace* & *hypochondriis* aut desidiæ aut nonnullis negotiis, legendo, sculpendo, nendo, scribendo &c. indulgent, inde facile evenit, ut in *pectore* aut *hypochondriis* ejusmodi humorum *stagnationes* oriantur, id quod eo facilius accidit, quo magis *aliæ* ex prædictis causis *una* concurrunt: interim etiam aliquando *excessivus*, *impetuosus*, *simultaneus* ac *præceps* corporis motus

 hunc

hunc affectum excitat, quando præc. in aliquibus subjectis humores *paulo spissiores* existunt, ubi *vehemens* & simul *subitanea* ac *larga* affluxio sanguinis ad *hepar*, præcipitem talem *stagnationem* causari potest & solet; id quod aliàs non pauci homines experiuntur, ut sub *cursitatione* aut *intensiori* alia corporis commotione modo in *liene*, modo in *hepate molestas*, aliquando plane *dolorificas* sentiant afflictiones.

§. XIV.

Præter hasce causas, *variæ excretionum turbæ* affectum hunc provocare solent, præc. alvi *diuturnæ* ac *pertinaces obstructiones*; quæ non modo sanguinem, per *venam Portæ refluum*, spissiorem reddunt, dum illius *liberum* progressum valde impediunt, multasque *crassas* impuritates eidem insinuant, sed & sanguinem magis in *hypochondriorum* regionem comprimunt, unde varia *hepatis*, *ventriculi* & *splenis morbosa* pathemata ingruunt, quibus etiam *præsens* affectus annumerari meretur; quando *sudor repente* reprimitur, tunc in varias corporis regiones & partes *quasi regurgitat*, ac præcocibus & vehementibus congestionibus loca hæc invadit; adeo, ut si *ad hepar* hic devenerit insultus, illico *acutas* & chronicas afflictiones excitare queat, quarum *posteriorum* numero hunc Scirrhum utique adscribo: nec desunt exempla, ubi defluxiones & *congestiones pectoris*, successive ad hepar *decubitu* aliquo pervenere, & illic *similem* affectum provocarunt, qualem casum *Joh. Raym. a Fortis l. cit.* commemorat: de *fonticulis præmature* cohibitis constant pariter ejusmodi congestiones, quæ hepar cum effectu *obstructionis* & *indurationis* occuparunt: maxime omnium *attento* animo advertendum est, quomodo *Mensium*, *Lochiorum*

& *Hæmorrhoidum suppressiones* & *anomalicæ* qualitates, *retrograda* aliqua congestione, ad *hepar immoderate* facta, talem affectum excitaverint: non minus *diarrhæa*, ut & *dysenteria* subito *oppressa* in aliquibus subjectis, ob *repentinam* humorum *repressionem* & subjunctam subitaneam translationem in *alia* & quidem sub præsentibus circumstantiis, *superiora hypochondriorum* loca, causam huic scirrho subministrare solet: annecto denique *quædam animi* pathemata, quæ hunc morbum allicere solent, ut *terror*, *timor*, longus & profundus *mœror*, *anxietates*, *curæ*, *ærumnæ* quæ singula schemata affectuum animi non modo sanguinem & reliquos humores magis *ad interiora* reprimere & illico *detinere*, sed & illorum *spissitudinem* ac *irregularem* progressum adjuvare & confirmare solent, unde aliquando in *hepate* theatrum, aut *sedem* hujus affectus erigunt.

§. XV.

Hisce causis adhuc alias *peculiares* adjicio, & quidem tales, quæ ad classem *præternaturalium* respectuum pertinent; videlicet quando quædam subjecta *nimis arcte hypochondria* certo amictu *constringunt*, indeque legitimum ac *liberum* progressum humorum per hepar *impediunt*, ipsa hac compressione, partem eandem magis *enervant*, & ita efficiunt, quo facilius *post* stricturæ hujus *relaxationem* in hoc viscere humorum *stagnationes* oriantur: huc etiam spectat, quando nonnulli homines in dextro hypochondrio *violentas* perculsiones, contusiones, lapsus &c. perpessi sunt, quæ *læsiones cito* eximiam humorum *stagnationem* pedissequam habent; unde tales Scirrhi facile generantur: addo *spasmos diaphragmatis*, undecunque hi oriantur, qui in subjectis *plethoricis* & simul aliquali sanguinis *spissitudine* præditis, *impeditum* sanguinis

nis transitum *per hepar* & *consequentem* hujus *obstructionem* & *indurationem* causantur: huc refero arduos, vehementes, frequentes & inconvenientes *vomitus* sive per *malam medicationem* provocatos, sive per *vitia diætetica* & causas alias *morbificas* excitatos, qui in *certis* subjectis, ubi aliæ quædam *prædictarum* causarum concurrunt, *talem* effectum producunt, ut sub tali *forti* compressione sanguinis in hypochondriis, *violento ferme* modo *intra hepar* humores pellantur & *incuneentur*: pertinent huc *pravæ* fluxus *hæmorrhoidales* medicationes, sive cum *vomitoriis*, sive *adstringentibus*, sive repellentibus, quorsum etiam famigeratum *martialium*, sic dictorum aperitivorum usum *copiosum*, aut minus judiciosum refero: vel quando febres *intermittentes* præmature *supprimuntur*, imperito Cort. Chinæ usu tractantur, aut per *incongrua* emetica & carthartica impelluntur & præcipitantur: (huc spectant allegata verba ex *C. Hofmanno*, *Boneti l.c.n.V. eodem nomine signabo*, *si post febres diuturnas & forte malignas, in quibus medici non recte curarunt hepar, accidat Scirrhus*) vel quando *malum hypochondriacum sinistre* tractatur, videl. similibus *vomitoriis*, *purgantibus*, adstringentibus, martialibus, calefacientibus &c. vel quando hoc malum *pravis moribus*, affectibus animi & *perversa diæta* confirmatur & exacerbatur; nec desunt testimonia, quibus probari potest, quod male tractatæ & exacerbatæ *tusses pectorales*, aut excitatæ ac incitatæ *tusses hypochondriacæ*, nec non *retropulsa podagra* & *œdemata* pedum, hunc Scirrhum hepatis provocaverint: cui classi causarum *plures* adjungere possem, ni præsens animadversio facile ansam præbere queat, quomodo *reliquæ connexæ* observationes conciliari & dijudicari debeant: quam ob rem jam anti-

quiores

quiores medici annotarunt & indicarunt, quomodo *inflammationes hepatis* male tractatæ, ut supra monui & simul *Riverii* testimonium annecto, eundem affectum post se trahere soleant, id quod ego etiam ad *perversam* directionem medicam extendo ac refero, quæ *congestionibus* passim in *abdomine* occurrentibus combinari non raro solet, ita ut secundum probatorum medicorum attentam observationem Scirrhus hepatis frequentius ex culpa *male* suo officio fungentium medicorum, quam aliarum ex parte hactenus recensitarum causarum proveniat: denique significo, quod interdum *prodiga* sanguinis evacuatio, aut *anoterica*, aut *catoterica*, nec non *abortus male* tractati, sicut *universo* corpori, ita etiam hepati gravem *imbecillitatem* obtulerint, huncque affectum sub certarum circumstantiarum *conspiratione* invitaverint.

§. XVI.

Ast brevitati operam dans, plura quoad causarum commemorationem & *specialissimam* symptomatum explicationem addere tempus haud permittit: illud adhuc indico, quod ob *morbosam* immutationem & offensionem *nobilis* hujus visceris, *functiones* in eodem administrari solitæ, nunc aut *ægre*, aut *insufficienter*, aut *plane non* continuent: & quemadmodum hepar *suis functionibus* multis modis *ordinariis salutaribus* evacuationibus *præparante* effectu admodum inservit, eapropter in hoc affectu & *alvi* & *urinæ* & *sudoris* defectus observatur, ni *consummato* tandem hoc affectu *tales* evacuationes ob *extremum motuum* & *virium* languorem, utpote *prodromus* & index *funesti* exitus, nonnunquam elabantur: & dum hepar *suis* functionibus, omnibus *reliquis* vitalibus & naturalibus operationibus *adjutricia* præbet officia, ita sub hoc affectu evenit, ut

...nomia vitalis corruat, *vires* succumbant, corpus *contabescat*, *hectica* febris irruat & denique *fatalis* eventus consequatur: nec illud phænomenon levi oculo advertendum est, quod cum *plurimis* hepatis vitiis pro *subjectorum ratione* & corporis dispositione, aut *tempestive oedematosus*, aut circa *funestum* decursum *hydrops ascites* concurrat: siquidem non modo sub hoc affectu massa sanguinis & præc. Lympha *spissiorem* consistentiam acquirit, ut e pedibus *perpendiculari* motu *difficilius* adscendat, adeoque facilius *regurgitet* & illico *stagnationem* patiatur ac intumescentiam causetur, sed & dum ob hepatis *infarctum refluxus* sanguinis ex *infernis* regionibus *impeditior* redditur, indeque partes *inferiores* magis *enerventur*, evenit ut hæc *imbecillitas* successive in *pedes* se extendat, qui *eapropter* suo robore aut *tono* tam *vegete* humores in *refluo* suo motu adjuvare *haud* possunt, unde illæ *regurgitationes*, stagnationes & *intumescentiæ*: quoniam vero circa hepatis *vicinitatem* numerosissima *lymphatica* vascula dispersa sunt, unde ab hepatis *majori* labe & læsione, indeque proveniente *lymphæ* alteratione & *spissiori* consistentia acquisita, *membranosæ* partes & *vascula* lymphatica *relaxantur*, *dilacerantur*, adeoque *hydropis* ascites *proximæ* consecutioni via aperitur: quæ meditationes succincta explicatione, quoad *Pathologicam* hujus affectus disquisitionem, hujusque *fundamenta* satisfacere poterunt.

§. XVII.

Superest ut *Practicam* adhuc hujus affectus directionem addam, in qua primo loco *cautelas* aliquas utiles ac necessarias præmittam: nocent itaque in hoc affectu *artificiales sanguinis* evacuationes, *confuse* ac *perverse* institutæ, & quidem vel *quantitate nimiæ*, unde præsens hepatis

indu-

induratio magis obfirmatur, vel *insufficientes*, quæ vicissim rectius secundum *morbi* statum, *subjecti* rationes, & affectus *causas* ordinandæ sunt: proinde subtractio sanguinis e *superioribus* corporis regionibus magis adversæ in hoc affectu sunt, quoniam *inferioris* corporis loca *majorem sublevationem* postulant, ne *largior affluxio* ab hac regione proveniens, *affectam* partem & *connexas vicinas* magis oneret; porro non consultum est *indiscreto* tempore talem saguinis evacuationem ordinare, quoniam aliquando *aliæ* operationes therapevticæ *præmitti*, *interponi* & *subordinari* debent: omnes *immodicæ*, *impetuosæ*, *excessivæ* & *tumultuariæ aliæ* evacuationes valde *nocent*, adeoque interdum in hoc casu *mortem accelerant*; quare a *vomitoriis* & *fortioribus purgantibus*, deinde ab *immoderatis diaphoresibus* eximie *abstinendum* est: nocent omnia remedia *sanguinem valde* commoventia, exæstuantia, *calefacientia*, expandentia, quæ semper *præsentem* hepatis infarctum *exacerbant*: absint omnia *incrassantia*, refrigerantia, *adstringentia*, quæ magis præsentem morbum *confirmant*: cavendum etiam est a negligenti *ordinariarum*, præc. *alvinarum*, evacuationum promotione, abstinendum etiam est a *communi narcoticorum* usu, quæ citius, æque ac adstringentia hecticos, cachecticos, œdematosos & hydropicos affectus provocant; nocent *aloëtica* remedia, vel *incorrecta*, vel *larga* copia ingesta, quæ communiter motum sanguinis in abdomine *valde augent* & ad strenuos *orgasmos* & *congestorios* conatus disponunt: officiunt quæcunque prægressarum *salutarium* hæmorrhagiarum ulteriores *perturbationes*, per *mala medicamina* & *regimina* sustentatæ: impr. etiam nocivæ sunt *variabiles* medendi methodi ac *multorum* & *discrepantium* remediorum

ingeſtiones; nec non *coactæ* ac *præcipitatæ* hujus affectus curationes, quæ communiter præcipitem *funeſtum* eventum cauſantur: admodum etiam ominoſus eſt *communis martialium* uſus, quibus ſecundum *vulgarem* opinionem ſingularis vis aperitiva tribuitur: omnium maxime præjudicioſa eſt *negligens* ac retardata hujus affectus cura, quoniam ſub tali mora præſens affectus continuo *firmiores* & *majores* facit progreſſus: denique *empirica* illa ſic dictorum *aperitivorum* & *hepaticorum* ordinatio, citra *conciliationem cauſæ* morbi, valde *inimica* & ominoſa exiſtit.

§. XVIII.

Seorſim vero in *poſitiva* medendi methodo præſtat *generica* obſtacula removere & quidem ubi *ſanguinis plenior* copia urget, ut & ubi conjuncta eſt ſanguinis *ſpiſſitudo*, nec non quando *omiſſæ* & *ſuppreſſæ ſalubres* hæmorrhagiæ, aut *anomali* Hæmorrhagiarum ſucceſſus, non minus *diæta plena* & *ſpirituoſa* una cum fortioribus *animi pathematibus* hunc affectum provocarunt, tunc tempeſtivæ *moderatæ* & *iteratæ* V. Snes in *pedibus* conducunt, quæ in talibus moderaminibus ac ſub talibus circumſtantiis uſurpatæ, haud *hydropem*, quem aliqui inde provenientem metuunt, invitant: Cucurbitularum cum *ſcarificatione* uſus in hoc affectu *parum utilitatis* promittit: proinde multum refert, quo *alvus conſtanti libertate* fruatur, quæ excretio lenientibus & laxantibus mediis adjuvanda & promovenda: hæc alvi promotio ita dirigenda eſt, ut nunc *diæteticis*, aliquando etiam *pharmaceuticis* perficiatur: quare e claſſe *priori* ordinanda ſunt juſcula lenientia, gelatinoſa, cum herbis temperantibus & emollientibus combinanda, utpote chærefolio, ſpinachia, beta

alba ; eo pertinent passulata, prunata, poma & pyra dulcia modicè saccharata & cocta, juscula dilutiora farinacia, lacticinia, præc. si præjudiciosa *bilis copia* in intestinis deest : ordinentur pariter sub diæta *congrua pinguia*, comestio butyri non fricti, *oleorum* diætelicorum *accepta* formula ordinandorum : e penu *Pharmaciæ* prosunt *tamarindinata*, *manna tartarisata*, usus *rhabarbari* cum *passulis utrisque* (sicut *Raymund a Fortis* sub consensu multorum medicorum *Tom. 2. Cent. 4. consult. 39. p. 526.* Rhabarbarum ad hepatis obstructiones reserandas *præstantissimum* remedium esse æstimat, id quod etiam *Tilingius* in *sua Rhabarbarologia* fusius testatur. *conf. Fernelius method. Lib. 5. c. 9. Zornius in Botanolog. med. sub tit. Rhabarb.* ubi multa authorum suffragio suo adsistentium series prostat) ad hæc referri possunt passulæ laxativæ, pruna laxativa, pilulæ de ammoniaco, laxantia tartarisata, utpote arcanum tartari, terra foliata tartari, sal anglicanum, sal sedlicense &c. quæ singula in liquida formula meliorem opem præstant : ordinentur interdum infusa vinosa ex radic. ari. helen. vincetox. petasit. rub. tinct. gent. rubr. herb. absinth. cochlear. cent. minor. tanacet. arnic. millefol. c. flor. &c. additis tamarindis, passulis utrisque, sem. synap. & arcan. tartar. quale infusum cum aqua Svvalbacens. aut Selterana dilui, bis per septimanam adhiberi & conjuncto *moderato* motu *equitationis* aut *vecturæ* sublevari debet : hisce per intervalla aliquando subordinentur *clysteres lenientes* & mediocriter *roborantes*, ut videlicet intestinorum tractus, præter reliquum *alvinæ* excretionis successum in congrua *lubricitate* & flexilitate conservetur, insuper etiam *molesti fibrus* educantur : aliquando peritus artifex variare potest cum decocto ex radic. apii bardan. cichor. taraxac. vincetox. gramin. asparag. herb. cent. min. cochlear. trifol. fibr. tanacet. arnic. millefol. veronic. hed. terr. sem. carv. petrosel. fœnic. bacc. junip. laur. tamarind. rad. polyp. quern. bryon. & sale Sedlicens. aut cryst all. tart. parato : quod bis per hebdomadam cum moderato corporis motu subordinato adhiberi & per aliquot septimanas continuari potest.

§. XIX.

Deinde conveniunt auxilia interna *emollientia* & sanguinis massam *resolventia*, subinde etiam *progressum* illius per *hepar* & *univer-*

niver-

niversum reliquum corpus *facilitantia*: pertinent huc juscula cum herbis recentibus diæteticis lenientibus decocta, additis temperatis roborantibus: eo spectant decocta ex modo nominatis vegetabilibus sine laxante additamento parata; subordinentur pilulæ ex extr. vincetox. cent. min. trifol. fibr. cochlear. squill. G. ammoniac. bdell. sagapen. juniper. thereb. coct. paratæ: propinetur decoctum herb. & flor. arnic cum flor. sambuc. & chamom. vulgar.: alternative propinetur liquor. terr. fol tart. tinct. antim. tartar. & spirit. nitr. dulc. conferunt etiam salia digestiva, tenerrime pulverisata, aut in forma potionis ordinanda; hinc *Hartmannus* in sua *praxi chymiatr.* ubi *c. 174. de Scirrho* agit, eximie tartarum vitriolatum laudat: propinetur itaque aliquando potio ex aqua scordii. fl. sambuc. acac. scorzon. cinnam. ceras. nigr. cum extr. squill. bacc. junip. vincetox. cent. min. ut & G. ammoniac. & tartar. vitriol. amar. nonnunquam decoctis *modica* quantitate addantur herb. scolopendr. marrub. alb. trifol. fibr. millefol. bellid. alioquin iisdem combinari potest Lign. Junipr. Lentiscinum & Santalinum citrinum: remedia *concentratiora* & spirituosa *haud secure* huic quadrant affectui; decoctum *viperarum* in initiante quidem tali *Scirrho* opem affert, in auctiori vero aut plane consummato nihil ad vota operatur: ita etiam mercurius dulcis parum utilitatis confert: quemadmodum aqua mercurii vivi magis *empiricum* usum invenit, salia vegetabilia ut centaur. min. absinth. acetos. card. ben. imperat. ononid. card. fullon. in potionibus additis extractis resolventibus & roborantibus adhibita aliqualem proficuum usum pollicentur & exequuntur, nonnunquam exhibeatur spirit. sal. ammoniac. ess. succin. juniper. vincetox cum tinctur. tartar. aut liquore terræ fol. tartari: præter hæc conducit etiam opportunus usus, *præparato* videl. prius corpore, *acidularum* Pyrmontensis, Svvalbacensis, Selteranæ, Sedlicensis aut similis *resolventis* & *excretiones* promoventis alterius, sub connubio *motus* moderati: multum enim omnium hactenus commendatorum auxiliorum usum sublevat & *salutarem* effectum promovet & facilitat *moderatus* corporis *motus* una cum *congruis peregrinationibus*: adhibeantur præterea per intervalla & cum aliquali variatione *vina medicata* cum aqua subterranea, Wildungensi, Svvalbacensi aut alia, *temperanda*, conficienda ex rad. vincetox.

tox. enul. bardan. caryophyllat. gentian. rubr. cyper. rot. herb. capill. vener. abſinth. cent. min. trifol. fibr. cochlear. menth. criſp. flor. ſambuc. lavend. ſumit. origan. millefol. ſem. fœnic. bacc. junip. L. ſantal. citr. rad. polypod. quern. paſſul. utriſque & cremor tartari: *Lactis* uſum internum in hoc affectu non *facile, aut promiſcue* probo, *curatorio* præc. ſcopo, admittendum, ne huic viſceri affecto, utpote *primarum viarum principali*, uberiores *cruditates* ac craſſæ ſubſtantiæ adducantur.

§. XX.

Cum hiſce internis remediis conjungenda ſunt auxilia *alia*, quæ *ſymptomata* huic affectui *familiaria* aliaque *adventitia* mitigant & avertunt; imprimis *ſuſpectæ ebullitiones* & *congeſtiones* ſanguinis *leniantur* remediis temperantibus, velut decocto C. C. paſſulato, aut pulvere ex Lap. 69 citrat. corall. rubr, ppt. & nitr. depurato conficiendo: huc contribuit Elixirium ex aqua chærefol. ſcorzoner. lil. alb. fl. ſambuc. acaciar. ſyrup. roſar. ſolutiv. conſerv. flor. malv. & ſpirit. nitr. dul. una cum C. C. ſin. ign. & corall. rubr. ppt. conficiendum. Antihecticum Poterii in hoc morbo haud commendo, quod potius præſentem hepatis *obſtructionem auget* & confirmat: *alvi adſtrictio* & *moleſta flatulentia* prædictis remediis corrigatur: *anguſtiæ præcordiales* mitigentur *moderata* promotione *neceſſariarum* excretionum, ominoſorum *ſpaſmorum* præoccupatione aut remotione, *flatulentiæ* ventriculi & inteſtinorum ablatione, nec non *progreſſus* humorum per *hypochondria* promotione: urgenti *acerbiori tuſſi* ordinanda ſunt remedia lenientia, diluentia, temperata, reſolventia ac excretionem alvi promoventia: e *ſedantium* numero conducunt cinnabarina, papaveracea, extractum chamomillæ, refractus uſus caſtorei, extr. chaccarillæ aquoſum, quæ cum *variis formulis* combinari poſſunt. *Externe* conducunt *Balnea* ex emollientibus & reſolventibus inſtruenda, velut ex ſpeciebus emollientibus, ut & rad. caryophyllat. vincet. ireor. flor. leviſtic. cyper. rotund. valerian. herb. matricar. hyſſop. origan. abrotan. ſerpill. flor. ſpic. lavend. verbaſc. aneth. ſambuc. bacc. laur. & junip. ſem. dauc. fœnic. nigell. &c. conficiantur etiam ex ejuſmodi ſpeciebus *Cataplaſmata* cum lacte, addito croco orientali & tantillo camphoræ: deinde conducit Emplaſtrum de Cicuta, quod

inter

inter medicos communem tenet applausum, nec non Empl. Saponatum Barbette cum Camphora mixtum: subordinetur interdum usus *Pediluviorum*, si præc. sanguinis *congestiones* hunc affectum frequentius comitentur: unguenta & linimenta vero pinguia ad hunc affectum haud secure quadrant: neque etiam ita dictis specificis, (velut succo anagallidis, rad. & corr. cappar. &c.) quæ circumferuntur, fides facile tribuenda, quæ quidem ubique commemorantur, ast desideratus effectus nondum sufficienter probatus constat: topicis remediis addo Ceratum de ammoniaco mixtum cum empl. de bacc. laur. oleo tart. fœtid. & camphor. *Plurimum* in hoc affectu *Motus* corporis congruus & *potus* conveniens proficiunt: Quod denique *Diætam* attinet, tunc illius institutio & ordinatio facile ex *præcedentibus*, maxime ex causarum commemoratione colligi poterit, ubi inter alia annecto, quod in excretionum directorio ratio etiam habenda veniat in aptis subjectis revocationis & congruæ promotionis *Mensium* & *Hæmorrhoidum*, quemadmodum *Casp. Hofmannus institut. Lib. 3. c. 65.* commemorat, quod hic affectus aliquando e *talium Hæmorrhagiarum retentione* originem trahere queat: ob id prudens medicus *illarum* circumspectam ac peritam *revocationem* curæ cordique habeat: in omni vero reliqua medicatione medicus animum applicet ad illas præcipuas *causas*, quæ *principaliori* efficacia hunc morbum provocarunt, quibus dextre, perite & opportune removendis, aut infringendis sedulam & sollicitam operam ipse impendat; quoad expectationem vero *salutaris* effectus, sciendum est, quod *principiis* hujus morbi dextre subvenire conveniat; hinc *Capivaccius* l. c. dicit *Scirrhus jecoris ab initio est periculosus & difficulter curatur: antiquus curari nullo modo potest*: Hæc sunt, quæ quoad *fundamentalem* ardui hujus affectus explicationem proferre placuit: reliquam *specialissimam* deductionem *ulteriori* meditationi aliis relinquo: utinam meliora de hoc intricato affectu promittere potuerim, ast cum ratio, observatio & medicorum confirmatio non meliora speranda permittant, intererit maxime, ut periti medici, quantum fieri potest, hujus affectus *accessum* sollicite & dextre *avertant*: ast vela mea contrahere teneor. DEO humillimas offerens gratias, quod in præsenti conatu almo suo auxilio ac moderamine mihi adesse voluerit, quem piis precibus flagito, ut omnibus reliquis meis propositis salutarem & exquisitum largiatur successum atque

F I N E M.